

PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. IX - N. 2

1977

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1977

EX ACTIS PAULI PP. VI

Allocationes

I-II-III. <i>Ad Patres Synodales V Coetus Generalis Synodi Episcoporum</i>	199
IV. <i>Ad eos qui intersunt VII Cursui renovationis Canonicae pro iudicibus a Pont. Universitate Gregoriana promoto</i>	209

EX ACTIS SYNODI EPISCOPORUM

I. <i>Relatio Cardinalis Praesidis de opere praestito in recognoscendo Codice Iuris Canonici</i>	211
II. <i>Discussio Patrum Synodalium circa Relationem</i>	214

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

<i>Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei Decretum circa impotentiam quae matrimonium dirimit</i>	222
---	-----

Sacra Congregatio pro Episcopis

I. <i>De titulo tribuendo Episcopis coadiutoribus c.i.s.</i>	223
II. <i>De titulo tribuendo Praelatis (nullius)</i>	224

Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu divino et Sacra Congregatio pro Clericis

<i>Responsum ad propositum dubium de S. Poenitentia anteponenda receptioni Primae Communionis</i>	225
---	-----

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

<i>De munere defensoris vinculi Diacono permanenti committendo</i>	226
--	-----

ACTA COMMISSIONIS

I. <i>Transmissio schematum canonum consultationis causa</i>	227
A. <i>Transmissionis Litterae</i>	227
B. <i>Index generalis provisorius novi Codicis</i>	229
C. <i>Praenotanda - Canones praeliminares et normae generales</i>	231
II. <i>Opera Consultorum in apparandis canonum schematibus</i>	274
A. <i>Coetus specialis studii « De Lege Ecclesiae Fundamentalis »</i>	274
<i>Caput II: De Ecclesiae munere sanctificandi</i>	275
<i>Caput III: De Ecclesiae munere regendi</i>	279
<i>Normae finales</i>	295
B. <i>Coetus studiorum de Iure poenali Pars secunda: De poenis in singula delicta</i>	304
C. <i>Coetus studiorum de Sacramentis Synthesis animadversionum generalium</i>	323
<i>Canones de Ecclesiae munere sanctificandi</i>	323
<i>Titulus V: De Sacramento Unctionis infirmorum</i>	332
D. <i>Coetus studiorum de Iure matrimoniali</i>	345
<i>De impedimentis in genere</i>	345
<i>De matrimonii mixtis</i>	353
<i>De impedimentis dirimentibus</i>	359
<i>De consensu matrimoniali</i>	369

DOCUMENTA

<i>Oratio Card. P. Felici in Pontifica Universitate Gregoriana</i>	379
--	-----

<i>NOTITIAE</i>	382
---------------------------	-----

<i>INDICES</i>	383
--------------------------	-----

suam sententiam favorabilem exprimunt, et committunt cuidam Consultori ut novum canonem de hac re redigat. Hac deliberatione facta, Consultores omnes unanimiter censem hoc caput « De matrimonii mixtis » collocandum esse post Caput VI « De forma canonica ».

De can. 6 (= 286 schematis)

Consultores praeferunt ut hic canon maneat in Capite de impedimentis dirimentibus, prout prostat in Schemate De matrimonio.

De can. 7 (= 280 schematis)

De hoc canone non habentur animadversiones.

Adunatio diei 16 maii 1977

Consultores examini subiciunt et approbant schema canonum de matrimonii mixtis secundum emendationes et deliberationes factas in adunatione praecedenti redactum.

Can. 1 (= Can. 276)

Matrimonium inter duas personas baptizatas, quarum altera sit in Ecclesia catholica baptizata vel in eadem post baptismum recepta, altera vero communitati ecclesiali plenam communionem cum Ecclesia catholica non habenti adscripta, cum periculum sit ne plena spirituali coniugum communioni obstet, sine praevia auctoritatis competentis dispensatione prohibitum est.

Can. 2 (= Can. 277)

§ 1. Ab hac prohibitione loci Ordinarius dispensationem concedere potest, si iusta et rationabilis causa habeatur et dummodo impletae sint conditiones quae sequuntur:

1) pars catholica declaret se paratam esse pericula a fide deficiendi removere atque sinceram promissionem praestet se omnia pro viribus facturam esse, ut universa proles in Ecclesia catholica baptizetur et educetur;

2) de his promissionibus a parte catholica faciendis altera pars tempestive certior fiat, adeo ut constet ipsam vere conscientiam esse promissionis et obligationis partis catholicae;

3) ambae partes edoceantur de finibus et proprietatibus essentialibus matrimonii, a neutro contrahente excludendis.

Can. 3 (= Can. 278)

Episcoporum Conferentiae est, decreto ad normam can. 203 (De Populo Dei) lato, tum modum statuere quo hae declarationes et promissiones, quae semper requiruntur, facienda sint, tum rationem definire qua de ipsis et in foro externo constet et pars non catholica certior reddatur.

Can. 4 (CIC 1099 et 1063)

§ 1. *Ad formam quod attinet in matrimonio mixto servandam, serventur praescripta can. 311.*

§ 2. *Si pars catholica matrimonium contrahit cum parte non catholica ritus orientalis, forma canonica celebrationis servanda est ad licetatem tantum, ad validitatem autem requiritur praesentia ministri sacri, servatis aliis de iure servandis.*

§ 3. *Quoad matrimonium inter partem catholicam de qua in can. 1 et partem non catholicam, si graves difficultates formae canonicae servandae obstent, loci Ordinario ius est ab eadem in singulis casibus dispensandi, salva tamen aliqua publica forma celebrationis; Episcoporum Conferentiae est normas statuere quibus praedicta dispensatio concordi ratione et licite concedatur.*

§ 4. *Vetatur ne ante vel post canonicaem celebrationem ad normam § 1, alia habeatur eiusdem matrimonii celebratio religiosa ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum; itemque ne fiat celebratio religiosa, in qua sacerdos vel diaconus catholicus et minister non catholicus insimul, quisque ritum suum peragentes, partium consensum exquirant.*

Can. 5 (= Can. 321, § 3)

Quoad matrimonium cum dispensatione a forma canonica, ad normam can. 4, § 3, contractum, Episcoporum Conferentia normas edat,

quibus modis communi ratione determinetur, quo de hoc matrimonio in regestis matrimoniorum et baptizatorum constet.

Can. 6 (= Can. 280)

Episcoporum Conferentiae Apostolicam Sedem certiorem reddant de iis quae circa matrimonia mixta ad normam cann. 3 (= Can. 278), 319, § 3, 5 (= Can. 321, § 3) decreverint.

Can. 7 (= Can. 279)

Locorum Ordinarii aliique animarum pastores carent, ne coniugi catholico et filiis e matrimonio mixto natis auxilium spirituale desit ad eorum officia conscientiae adimplenda atque coniuges adiuvent ad vitae coniugalis et familiaris fovendam unitatem.

Dilata est quaestio de modo coordinandi hoc caput cum canonibus qui agunt de impedimento disparitatis cultus, ita ut appareat etiam matrimonia disparitatis cultus esse « matrimonia mixta ». De hac quaestione mox videbitur, occasione discussionis canonum 285-286.

Caput IV

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS

Aliquis Consultor censet rubricam huius capituli melius inscribi posse « de impedimentis in specie », cum iam suppressum sit caput « de impedimentis prohibentibus ».

Alii Consultores autem praferunt pro nunc non mutare rubricam, cum quaestio pendeat a deliberationibus E. morum PP. Cardinalium circa quaestionem an Episcoporum Conferentiis concedi debeat facultas constituendi impedimenta saltem prohibentia.

Can. 282 (CIC 1067)

§ 1. Vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum, matrimonium validum inire non possunt.

§ 2. Integrum est Episcoporum Conferentiae aetatem superiorem ad matrimonii celebrationem, ad normam can. 262 § 3, statuere.

§ 3. Licet matrimonium post praedictam aetatem contractum validum sit, carent tamen animarum pastores ab eo avertere iuvenes ante aetatem, qua, secundum regionis receptos mores, matrimonium iniri solet.

— Nonnulli postulaverunt ut aetas pro matrimonio ineundo ele-
vetur sive pro viro sive pro muliere.

Consultores tamen notant fere omnibus organis consultationis pla-
cuisse limitem aetatis in canone statutum; ceterum cum matrimonium
sit ius naturae, non videtur quomodo iure canonico hoc ius limitari
possit, ratione aetatis, quando iam partes ad maturitatem sive biologi-
cam sive psychologicam pervenerint. Iamvero hic canon respicit matu-
ritatem biologicam; de maturitate autem psychologica exstant peculia-
res canones in capite de consensu.

— Aliqui in lucem posuerunt opportunitatem statuendi eandem
aetatem in legibus civilibus statutam.

Consultores ob rationem nuper dictam, nolunt normam canonis mu-
tare; notare etiam iuvabit in novo capite « De cura pastorali et de iis
quaes matrimonii celebrationi praemitti debent » novam normam haberri
qua parochi vetantur assistere matrimonio *sine licentia* Ordinarii, quan-
do matrimonium ad normam legis civilis agnoscit vel celebrari nequeat.

— Proponitur ab aliquibus Consultoribus haec redactio:

*§ 2. « Integrum est Episcoporum Conferentiae aetatem superio-
rem ad licitam matrimonii celebrationem statuere » (placet 6, non
placet 1).*

— Proponitur ut § 3 transferatur in finem capitis « De cura pasto-
rali et de iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent ».

Propositio placet omnibus et ideo novus canon ita redigitur:

*Curent animarum pastores a matrimonii celebratione avertere iuve-
nes ante aetatem, qua, secundum regionis receptos mores, matrimonium
iniri solet.*

Can. 283 (CIC 1068)

*§ 1. Impotentia coeundi antecedens et perpetua, sive ex parte viri
sive ex parte mulieris, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso
iure naturae (ex ipsa natura matrimonii) dirimit.*

§ 2. Si impedimentum potentiae dubium sit, sive dubio iuris

sive dubio facti, matrimonium non est impediendum, nec, stante dubio, nullum declarandum.

§ 3. *Sterilitas matrimonium nec prohibet nec dirimit, firmo praescripto can. 300.*

Quoad § 1

— Omnes suggestiones, quae circa § 1 huius canonis a variis organis consultationis factae sunt, late diffuseque a Coetu De matrimonio discussae fuerunt per unam hebdomadam, ideoque non opportunum videtur nunc denuo discussionem facere.

— Longe maior pars organorum consultationis dixerunt praeferre locutionem « ex ipsa natura matrimonii » ideoque delentur verba « ipso iure naturae ». Ita placet etiam Consultoribus, uno excepto, qui delere vellet sive « ipso iure naturae » sive « ex ipsa natura matrimonii »; suppressa enim hac ratione impedimenti, addi posset norma qua edicatur valere matrimonium si altera pars defectum potentiae sciatur.

Propositio Consultoris, quae ceterum iam reiecta fuit a Coetu, non placet aliis.

Quoad § 2

— Nonnulli dixerunt supprimi posse verba « nec, stante dubio, nullum declarandum », utpote superflua, quia matrimonium gaudet favore iuris.

Consultores respondent haec verba posita esse a Coetu ad hoc ut consequatur uniformis iurisprudentia in hac materia.

Quoad § 3

— Aliqui notaverunt in contextu culturae africanae sterilitatem esse defectum dirimens matrimonium.

Consultores autem censent hoc factum non constituere validam rationem mutandi § 3, quia si sterilitas non impedit matrimonium ex ipso iure naturae, non potest de ipsa impedimentum dirimens constitui. Alia quaestio est si fecunditas ponatur ut conditio in consensu matrimoniali, sed de matrimonio sub conditione habentur peculiares normae in capite de consensu.

— Nonnulli proposuerunt suppressionem verborum « firmo praes-

scripto can. 300 », ita ut omnes casus applicationis canonis 300 (de dolo) determinentur a iurisprudentia.

Aliqui Consultores memorant discussiones quae in Coetu habitae sunt de redactione can. 300, an scilicet opportunum esset indicem aliquem casuum erroris dolosi confidere; praevaluit sententia redigendi normam generalem de errore doloso, ita ut iurisprudentia determinaret casus concretos; attamen ipse Coetus consulto in can. 283, § 3 præbere voluit, ad modum exempli, casum aliquem applicationis can. 300 de dolo.

Fit suffragatio an placeat delere verba « firmo præscripto can. 300 »: placet 3, non placet 4.

Can. 284 (CIC 1069)

§ 1. *Invalide matrimonium attentat qui vinculo tenetur prioris matrimonii, quamquam non consummati, salvo privilegio fidei.*

§ 2. *Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit.*

— Nonnulli proposuerunt suppressionem verborum « salvo privilegio fidei » in § 1, quia, secundum ipsos, in casu privilegii fidei præcedens matrimonium solvitur per dispensationem Summi Pontificis.

Aliqui Consultores favorabiles sunt huic propositioni; alii autem sunt contrarii quia, secundum ipsos, in casu privilegii fidei, præcedens matrimonium non solvitur nisi per subsequens matrimonium.

Fit suffragatio an placeat supprimere verba « salvo privilegio fidei »: placet 4, non placet 3.

Suggestum est ut expungatur e § 2 verbum « certo » quia superfluum videtur (placet 2, non placet 5).

* * *

Aliqua Episcoporum Conferentia proposuit ut novum impedimentum constituatur quando quis scilicet tenetur vinculo matrimonii civilis.

Consultores respondent hunc casum iam præoccupatum esse, ob præcedentem normam qua statutum est parochum non posse assistere huiusmodi matrimonio sine licentia Ordinarii loci.

* * *

Can. 285 (CIC 1070)

§ 1. *Matrimonium inter duas personas, quarum altera sit baptizata in Ecclesia catholica vel in eandem recepta nec actu formali ab ea defecerit et altera non baptizata, initum sine praevia competentis auctoritatis dispensatione, est invalidum.*

§ 2. *Si pars tempore contracti matrimonii tamquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, presumenda est, ad normam can. 244, validitas matrimonii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam.*

— Nonnulli dixerunt verba « initum sine praevia competentis auctoritatis dispensatione » esse superflua et proinde supprimi posse.

Propositio omnibus placet.

— Circa § 2 habetur propositio alicuius Universitatis redeundi ad disciplinam quae vigebat ante Codicem ita ut si pars tempore contracti matrimonii tamquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, impedimentum disparitatis cultus non urgeat, etsi reipse alia pars sit catholica alia vero non baptizata. Hoc modo habetur certitudo de validitate matrimonii inde a momento celebrationis.

Consultores hanc propositionem attente considerant, attamen post aliquam discussionem inclines potius videntur ad servandam disciplinam prouti est in CIC.

Suffragatur an placeat mutare disciplinam can. 285, § 2: placet 2, non placet 3, se abstinent 2.

— Aliqui Consultores censem can. 285, § 2 posse supprimi quia continet normam quae clare erui potest ex principiis generalibus.

Fit suffragatio de hac propositione: placet 3, non placet 4.

* * *

— Aliqui proposuerunt ut non habeatur impedimentum disparitatis cultus quando pars non baptizata sit catechumena.

Consultores censem hanc propositionem recipi non posse ob graves difficultates quae haberentur in determinando quando quis incipit esse catechumenus.

— Examinatur propositio alicuius Episcopi addendi novam § canonii 285 his verbis: « Si vero post matrimonium canonice initum, in

casu de quo in § 2, pars dubie baptizata baptismum ad normam can. 19 recepit, dum alterutra pars non revocaverit consensum matrimoniale, eo ipso in radice sanatur matrimonium si forte ab initio nullum fuisset ».

Duo Consultores approbant hanc propositionem, sed alii sunt contrarii.

* * *

Can. 286 (CIC 1071)

Quae in cann. 277-280 praescripta sunt applicari quoque debent matrimonii, quibus obstat impedimentum disparitatis cultus.

Secundum deliberationes iam factas, cann. 277-280 suppressi sunt et novum caput « De matrimoniis mixtis » redactum est (cfr. supra, pp. 353 ss.). Venit nunc quaestio an in illo capite de matrimoniis mixtis aliquo modo dici vel innui debeat etiam matrimonia disparis cultus venire sub nomine « matrimonia mixta ».

Aliqui Consultores proponunt ut in illo capite inseratur novus canon quibus dicatur sub nomine « matrimonia mixta » venire matrimonia quibus obstat impedimentum sive mixtae religionis sive disparitatis cultus. Alii Consultores sunt contrarii et praferunt ut in cap. de matrimoniis mixtis fiat referentia ad can. 285, § 1.

Post aliquam discussionem recipitur propositio cuiusdam Consultoris addendi novum canonem, in fine capituli de matrimoniis mixtis, his verbis redactum:

Praescripta cann. 2-7 applicanda sunt quoque matrimonii quibus obstat impedimentum disparitatis cultus, de quo in can. 285, § 1.

Fit suffragatio an placeat haec solutio: placet 5, se abstinet 1.

Post hanc suffragationem, supprimitur can. 286.

Adunatio diei 17 maii 1977

Can. 287 (CIC 1072)

§ 1. Invalide matrimonium attentant qui in sacris ordinibus sunt constituti.

§ 2. Etiam diaconi qui coniugati fuerunt, de quibus in can. 211 § 1, 2, ad novum matrimonium contrahendum inhabiles sunt.

— De § 1 non factae sunt animadversiones, si una tantum excipiatur quae extollit ius naturale ad matrimonium contra legem ecclesiasticam coelibatus et dubium proinde movet de vi dirimente legis coelibatus.

— Quoad § 2 permulta organa consultationis conquesta sunt eo quod diaconi, qui coniugati fuerunt, inhabiles declarentur ad novum contrahendum matrimonium: quod iniustum ipsis videtur sive quia tales diaconi coelibatum non elegerunt, sive quia saepe saepius novum matrimonium optimam solutionem praebet proli quae forte habetur. Cum quaestio sit omnino clara, habetur suffragatio an placeat eximere illos diaconos ab impedimento: placet 6, non placet 2. Ideo duo Consultores proponunt ut § 2 ita redigatur: *Diaconi qui coniugati ordinem sacram receperunt impedimento de quo in § 1 non tenentur.*

Formula omnibus placet.

Can. 288 (CIC 1073)

Invalide matrimonium attentant qui votum publicum perpetuum castitatis emiserint.

— Suggestum est ut impedimentum extendatur omnibus qui sacra ligamina per professionem perpetuam contraxerunt; consecratio enim religiosa haberri potest per varia ligamina et non tantum per tria vota. Etiam aliqui Consultores idem petunt, sed alii Consultores sunt contrarii.

Post aliquam discussionem fit suffragatio an placeat restringere impedimentum ad « votum perpetuum castitatis » tantum: placet 5, non placet 3.

Post hanc deliberationem, ratione uniformitatis terminologicae, omnes Consultores, uno excepto, volunt ut in can. 266, § 2, n. 1 dicatur: « impedimentum ortum ex sacris ordinibus, aut ex voto perpetuo castitatis in Instituto vitae consecratae iuris pontificii ».

— Ex officio propositum est ut dicatur in canone « qui voto publico perpetuo castitatis obstringuntur » loco « emiserint ». Suffragatione facta (placet 4, non placet 4), praevaleret textus canonis prouti est.

— Aliquis Episcopus proposuit ut addatur in canone: « ... votum publicum perpetuum castitatis in Instituto vitae consecratae emiserit ». Propositio omnibus placet.

Can. 289 (CIC 1074)

Inter virum et mulierem abductam vel saltem retentam intuitu matrimonii cum eo contrahendi, quamdiu sub illo influxu subiectionis ipsa permaneat, nullum matrimonium consistere potest, nisi postea mulier, deliberata voluntate ac sponte, matrimonium eligat.

— Nonnulli proposuerunt suppressionem huius canonis, cum ad tuendam libertatem sufficiat canon de vi et metu.

Etiam unus Consultor idem sentit. Omnes alii Consultores autem censem hanc figuram impedimenti esse retinendam, quia hoc factum abductionis mulieris non est tam infrequens uti prima facie quis putare potest.

— Suggestum est ut statuatur impedimentum etiam pro casu abductionis viri ex parte mulieris.

Consultoribus non placet haec propositio, quia casus abductionis generatim mulieres respiciunt.

— Nonnulli proposuerunt ut ripristinentur cautiones quae habebantur in can. 1074 CIC, addendo in canone haec verba: « ... nisi postea mulier a raptore separata et in loco tuto ac libero constituta deliberata voluntate ac sponte matrimonium eligat ».

Suffragatur an placeat haec additio: placet 7, non placet 1.

Post hanc additionem aliqui Consultores putant supprimi posse, utpote superflua, verba canonis « quamdiu sub illo influxu subiectionis ipsa permaneat ». Haec propositio placet 5, non placet 3.

— Duo Consultores proponunt suppressionem verborum « deliberata voluntate ac sponte », quae potius qualificant libertatem a vi et metu. Propositio placet 5, non placet 3.

Can. 290 (CIC 1075)

Qui intuitu matrimonii cum certa persona ineundi, huius coniugi vel proprio mortem intulerit, invalide hoc matrimonium attentat.

— Suggestum est ut deleantur verba « intuitu matrimonii » ita ut formula canonis latius pateat.

Aliquis Consultor autem proponit ut canon duas §§ habeat; in § 1 ponatur casus illius qui coniugem occidit « intuitu matrimonii »; in § 2 ponatur casus eorum qui mutua opera mortem coniugi intulerint (cfr. CIC 1075, § 3).

Propositio Consultoris omnibus placet et formula canonis ita redigitur:

§ 1. *Qui intuitu matrimonii cum certa persona ineundi, huius coniugi vel proprio coniugi mortem intulerit, invalide hoc matrimonium attentat.*

§ 2. *Invalide quoque matrimonium inter se attentant qui mutua opera physica vel morali mortem coniugi intulerint.*

Can. 291 (CIC 1076)

§ 1. *In linea recta consanguinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos tum naturales.*

§ 2. *In linea collateralis irritum est usque ad quartum gradum inclusive.*

§ 3. *Impedimentum consanguinitatis non multiplicatur.*

§ 4. *Numquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in secundo gradu lineae collateralis.*

— Suggestum est ut in § 1 dicatur « illegitimos » loco « naturales ». Fit suffragatio huius propositionis, cuius exitus hic est: placet 2, non placet 4, se abstinent 2.

— Quoad § 2 plures conquesti sunt eo quod adhibitus sit modus computandi gradus consanguinitatis iuri romano congruus. Quaestio haec tamen examinabitur a Coetu de personis, quia eadem solutio valere debet pro toto Codice.

— Aliquis Episcopus petiit ut deleatur § 4 quia, dicit ipse, impedimentum dubium non potest auferre ius certum quod omnes habent ad matrimonium.

Consultores respondent vi § 4 prohiberi *hoc* matrimonium, minime autem auferri ius ad matrimonium.

Can. 292 (CIC 1077)

§ 1. *Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu; in linea collateralis usque ad secundum gradum.*

§ 2. *Affinitatis impedimentum non multiplicatur.*

— Nonnulli proposuerunt ut affinitas in linea collaterali non constituat impedimentum.

Fere omnes Consultores concordes sunt, quia saepe saepius matrimonium inter affines est optima solutio pro prole, quae forte habetur ex priori matrimonio.

Fit suffragatio an placeat supprimere impedimentum affinitatis in linea collaterali: placet 7, non placet 1.

Consequenter etiam § 2 supprimitur.

Can. 293 (CIC 1078)

§ 1. *Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido post instauratam vitam communem et ex notorio vel publico concubinatu; et nuptias dirimit in primo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac vice versa.*

§ 2. *Matrimonium invalidum, de quo in § 1, intelligitur etiam matrimonium civiliter contractum, quod est propter defectum formae canonicae invalidum.*

— Nonnulli (paucissimi tamen) proposuerunt suppressionem impedimenti publicae honestatis. Propositio non placet Consultoribus.

Materia § 2 translata fuit ad can. 247 § 4, ideoque § 2 supprimi debet. Attamen Consultor quidam rogat alios Consultores ut denuo consideretur quaestio de opportunitate illius translationis, ideoque ipsi brevem adhuc discussionem habent de hac quaestione. Tandem fit suffragatio an placeat stare in decisio et can. 293, § 2 delere: placet 5, non placet 3.

Can. 294 (CIC 1080)

Qui lege civili inhabiles ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam aut ob tutelam, vi iuris canonici matrimonium inter se valide contrahere nequeunt.

Suggesta fuit ab aliquibus suppressio impedimenti cognationis legalis.

Unus Consultor idem sentit eo quod categoriae iuridicae legum civilium non semper sunt eadem ac iuris canonici, praesertim leges irritantes vel inhabilitantes quod spectat. Saepe impossibile est determinare utrum lex civilis constituat impedimentum dirimens an prohibens, iuxta nostras categorias.

Alius Consultor suam facit propositionem alicuius Conferentiae Episcoporum ut ius canonicum non procedat via canonizationis iuris civilis in hac materia, sed potius, independenter a lege civili, declareret adesse impedimentum dirimens inter eos qui secundum legem civilem adoptione aut tutela coniuncti sunt.

Post brevem discussionem sequentes suffragationes habentur:

- an placeat supprimere impedimentum dirimens cognationis legalis: placet —, non placet 8;
- an placeat can. 294 prout est: placet 3, non placet 5;
- an placeat haec formula: « Qui secundum legem civilem adoptione coniuncti sunt, matrimonium inter se valide contrahere nequeunt »: placet 4, non placet 3, se abstinet 1.

Adunatio diei 18 maii 1977

Caput V

DE CONSENSU MATRIMONIALI

— Can. 295 schematis translatus fuit inter canones praeeliminares et Consultores manent in decisio[n]e circa hanc quaestionem.

Can. 296 (novus)

Sunt incapaces matrimonii contrahendi:

- 1) *qui mentis morbo aut gravi perturbatione animi ita afficiuntur ut matrimoniales consensum, utpote rationis usu carentes, elicere nequeant;*
- 2) *qui laborant gravi defectu discretionis iudicii circa iura et officia matrimonialia mutuo tradenda et acceptanda.*

— Suggestum est ab aliqua Episcoporum Conferentia ut initio addatur: « *Sunt incapaces ob vitium consensus matrimonii contrahendi, etc. ...* ».

Suggestio non placet Consultoribus, qui censem sufficienter patere hic agi de vitio consensus, ex eo quod canon positus sit sub rubrica « de consensu ».

— Nonnulli proposuerunt suppressionem verborum « utpote rationis usu carentes », quae habentur in n. 1°.

Consultores censem illa verba esse necessaria quia indicant differentiam inter defectum de quo in n. 1° et defectum de quo in n. 2°. Aliqua Episcoporum Conferentia suggestit ut in n. 2° magis specifice fiat referentia ad discretionem quae requiritur pro matrimonio et proposuit hanc formulam: « qui potestate valutativa seu aestimativa circa officia matrimonialia ita carent ut ea, discretione matrimonio proportionata, tradere et acceptare nequeant ».

Quidam Consultor praeferret hanc novam formulam sed alii Consultores non ita sentiunt.

— Loco verborum « qui laborant gravi defectu discretionis », non nullis aptiora videntur verba « qui carent debita discretione ».

Consultores praeferunt verba schematis, ne norma laxismo indulget: secundum verba canonis enim defectus discretionis debet esse *gravis*.

Can. 297 (novus)

Sunt incapaces matrimonii contrahendi qui ob gravem anomaliam psychosexualem obligationes matrimonii essentiales assumere nequeunt.

— Nonnulli animadverterunt in canone haberi indebitam restrictionem *ad anomaliam psychosexualem* tantum; incapacitas enim assumendi obligationes essentiales matrimonii non provenit tantummodo ex gravibus anomaliis psychosexualibus. Ad solvendam difficultatem alii proposuerunt ut dicatur « anomaliam psychicam », alii ut dicatur « prae-sertim psychosexualem », alii ut addatur « vel ob indolis gravissimam distorsionem », alii ut dicatur « anomaliam psychicam aut psychosexualem », alii tandem ut dicatur simpliciter « ob gravem anomaliam ».

Etiam inter Consultores habentur variae sententiae. Aliqui dicunt Coetum consulto elegisse verbum « psychosexualem » ad restringendum ambitum huius defectus ne multiplicarentur causae nullitatis, alii autem censem hanc restrictionem esse arbitriam, cum norma uniformari debat quam maxime iuri naturae. Aliquis placet ut dicatur simpliciter « ob gravem anomaliam », at ipsis opponitur periculum aperiendi viam gravissimis abusibus. Quidam praeferunt « ob gravem anomaliam psychicam », contradicentibus aliis qui nollent praecludere viam ad invocandas alias radices incapacitatis assumendi obligationes matrimonii.

Post accuratam discussionem sequentes habentur suffragationes:

- an placeat dicere « anomaliam psychosexualem »: placet 0, non placet 8;
- an placeat « ob gravem anomaliam praesertim psychosexualem »: placet 0, non placet 8;
- an placeat « ob gravem anomaliam psychicam »: placet 4, non placet 3, se abstinet 1.

Can. 298 (CIC 1082)

§ 1. Ut consensus matrimonialis haberri possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse consortium permanens inter virum et mulierem ordinatum ad prolem, cooperatione aliqua corporali, procreandam.

§ 2. Haec ignorantia post pubertatem non praesumitur.

Circa hunc canonem aliquae mutationes propositae sunt a paucis organis consultationis:

- dicatur « sciant » loco « saltem non ignorent » (Consultoribus non placet);
- dicatur « societas » loco « consortium » (Consultoribus non placet);
- dicatur « consortium vitae et amoris » (Consultoribus non placet);
- dicatur « cooperatione aliqua sexuali » loco « corporali » (placet 4, non placet 4). Formula canonis immutata manet quia praevalet textus prouti est.

Can. 299 (CIC 1083)

§ 1. Error in persona invalidum reddit matrimonium.

§ 2. Error in qualitate personae, etsi det causam contractui, matrimonium non dirimit nisi redundet in errorem personae.

— Circa redactionem huius canonis aliquae parvae emendationes (ex. gr. dicatur « circa » loco « in persona », dicatur « consensui » loco « contractui ») propositae sunt, quae Consultoribus non placuerunt.

— Ad substantiam canonis quod attinet nonnulli, prae oculis canonem sequentem schematis (can. 300 de errore doloso) habentes, pro-

posuerunt ut non attendatur dolus tamquam criterium ad discernendum influxum invalidantem erroris, sed simpliciter natura qualitatis circa quam versatur error, dummodo, addunt alii, haec qualitas det causam contractui. Si qualitas scilicet talis est quae *natura sua* (seu uti dicitur in can. 300, « *quae nata est* ») est graviter perturbativa consortii vitae coniugalnis, matrimonium erit nullum tam si error inductus est dolo quam si error sine dolo ortus est.

Quidam Consultor idem sentit. Alius autem dicit tantum errorem dolosum habere valorem invalidantem, quia in casu doli non habetur coniunctio voluntatum in actu consensus, dum in casu simplicis erroris coniunctio voluntatum in actu consensus reapse habetur. Alter Consultor item censet praescindendi non posse a dolo ut habeatur effectus invalidans; si attendatur tantum ad naturam qualitatis circa quam versatur error, indicari debet quaenam sint illae qualitates sine quibus consortium coniugale graviter perturbatur, quia locutio quae adhibita est in canone 300 (« qualitas quae *nata est* ad consortium vitae graviter perturbandum ») non talis est ut excludat omnino qualitates minoris momenti quae tamen subiective considerantur maximi momenti.

Quidam Consultor vero dicit se favere propositioni praescindendi a dolo, dummodo inveniatur modus idoneus praecavendi ut etiam qualitates minoris momenti habeantur ut graviter perturbativaे consortii coniugalnis. Est qui censeat canones 299 et 300 immutatos servandos esse; pro sua sententia autem can. 299 § 2 iam praebet solutionem quaestioni propositae ab organis consultationis, quia qualitas *quae nata est* ad consortium vitae graviter perturbandum certo certius est qualitas « *quae redundat in errorem personae* ». Ex alia parte can. 300 de dolo sustineri debet, quia respicit casus doli sive positivi, sive negativi. Cum enim agatur in illo canone de qualitate essentiali pro instaurando consortio matrimoniali, qui caret illa qualitate non potest tacere simpliciter, quia hoc silentium esset dolosum.

Post accuratam et longam discussionem fit suffragatio an placeat praescindere a dolo dummodo error sit circa qualitatem quae nata est ad consortium vitae graviter perturbandum: placet 2, placet iuxta modum 1, non placet 3, se abstinent 2.

Modus: dummodo error determinet voluntatem contractualem et signat gravem et insanabilem perturbationem vitae coniugalnis.

Attento exitu suffragationis, can. 299 manet prout est.

Adunatio diei 20 maii 1977

Can. 300 (novus)

Qui matrimonium init deceptus dolo, ad obtainendum consensum patrato, circa aliquam alterius partis qualitatem, quae nata est ad consortium vitae coniugalis graviter perturbandum, invalide contrahit.

De hoc canone iam multa dicta sunt a Consultoribus in discussione de canone praecedenti.

Aliqua organa consultationis (pauca omnino) timorem manifestarunt ne per hunc canonem multiplicentur causae nullitatis, dum alia organa petierunt ut includatur in canone ut causa nullitatis non solum error dolosus circa *qualitatem*, sed etiam circa *circumstantias aliquas gravis momenti*, quae ad matrimonium ineundum induxerunt.

Omnibus perpensis Consultoribus placet ut can. 300 servetur prouti est.

Can. 301 (CIC 1084)

Error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem, dummodo non afficiat voluntatem, non vitiat consensum matrimoniale.

Circa hunc canonem sequentes praecipuae animadversiones factae sunt:

a) aliqui (paucissimi tamen) negant substantiam huius canonis et petunt ut statuatur norma contraria, scilicet si habeatur error circa unitatem vel indissolubilitatem, praesumitur vitiatum fuisse consensum matrimoniale.

Consultores autem tenent doctrinam traditionalem in qua fundatur hic canon, scilicet de compossibilitate erroris simplicis in mente, qui non determinet voluntatem, quia in casu voluntas versatur circa matrimonium prout communiter habetur, id est unum et indissolubile.

b) Aliqui dixerunt verba CIC « etsi det causam contractui » esse clariora, alii proposuerunt « dummodo non excludat voluntatem », alii « dummodo non determinet voluntatem ».

Post brevem discussionem, Consultores eligunt verba « dummodo non determinet voluntatem ».

c) Nonnulli proposuerunt ut repristinentur in canone verba CIC « aut sacramentalem dignitatem ».

Unus Consultor concordat circa hanc propositionem. Ipse enim tenet quod si error circa sacramentalem dignitatem matrimonii afficiat voluntatem, matrimonium est nullum. Duo Consultores autem negant quod matrimonium sit nullum quando error circa sacramentalitatem afficiat voluntatem, quia qui errat circa sacramentalitatem matrimonii habet tamen voluntatem praevalentem faciendi *verum* matrimonium, quod obiective non datur quin sit eo ipso sacramentum; ut habeatur enim matrimonium nullum ex capite erroris circa ipsius sacramentalem dignitatem, oportet ut exclusio sacramentalitatis sit praevalens scilicet ut ponatur tamquam conditio explicita.

Sententiis ita expressis, habetur discussio inter Consultores et tandem fit suffragatio an placeat ripristinare verba « vel sacramentalem dignitatem »: placet 3, non placet 3, se abstinent 2.

Cum non habeatur maior pars neque pro una neque pro alia sententia, manet textus prouti est.

Can. 302 (CIC 1085)

Scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimoniale non necessario excludit.

Suggestum fuit ab aliqua Universitate Studiorum ut hic canon deleatur cum contineat principium per se verum quod tamen rarissime verificatur.

Consultores preferunt ut canon retineatur.

Can. 303 (CIC 1086)

§ 1. Internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis.

§ 2. At si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum aut ius ad vitae communionem, aut ius ad coniugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit.

— Aliquis Consultor proponit ut in § 1 deleatur verbum « semper ». Propositio aliis placet.

— De sententia alicuius Universitatis Studiorum considerari debet contextus sociologicus actualis, in quo maior pars baptizatorum ita erroribus circa matrimonium eiusque proprietates imbuuntur ut iam non dici possit nubentes implice in actu consensus intendisse illa bona

eo quod *positivo voluntatis actu* eadem bona non excluderunt. In novo contextu nova formulatio canonis (§ 2) desideratur.

Consultores censem hanc animadversionem esse nimis radicalem; si pressius enim res consideretur non potest negari nubentes, quando contrahunt, generatim in mentem habere, etsi confuse, verum matrimonium cum omnibus suis proprietatibus; et hoc sufficit ut canon immutatus maneat.

— De verbis « aut ius ad vitae communionem » animadversiones factae sunt vel ut supprimantur utpote periculosa pro stabilitate matrimonii, vel ut determinetur quid veniat nomine « communionis vitae »; alii autem dixerunt illa verba esse inutilia quia « matrimonium ipsum » et « ius ad vitae communionem » idem dicunt.

Consultores dicunt sub verbis « ius ad vitae communionem » hic venire iura quae attinent ad essentiales relationes interpersonales coniugum, quaeque in hodierno contextu habentur ut complexus iurium distinctus ab aliis iuribus quae communiter in traditione numerabantur. Consultor quidam animadvertisit amorem esse fundamentum relationum interpersonalium coniugum; iamvero non videtur dari posse « ius ad amorem », sed potius ius ad alias actiones quae generatim foventur ab amore. Etiamsi in Concilio plura de amore coniugali dicta sint, non videtur illa transferri posse ad categorias iuris ita ut habeatur ius ad amorem. Ceterum bonum « communionis vitae » inclusum est in bono fidei. Alter Consultor censet difficultates solvi posse si in canone indicentur tria bona quae in traditione semper admissa sunt (prolis, fidei et sacramenti), ita ut relinquatur iurisprudentiae munus ulterius determinandi singula bona secundum progressum doctrinae.

Fit suffragatio an placeat haec novissima propositio: placet 3, non placet 5.

— Quidam Consultor proponit ut loco « ius ad vitae communionem » dicatur « *ius ad ea quae vitae communionem essentialiter constituant* ».

De hac propositione exitus suffragationis est: placet 5, non placet 3.

— Nonnulli petierunt ut includatur explicite in canone « ius ad prolis generationem », censentes « ius ad coniugalem actum » non esse sufficienter comprehensivum iuris ad prolem.

Consultores unanimiter non admittunt hanc propositionem.

— Aliquis petiit ut ripristinetur verbum « *omne ius ad coniugalem actum* » quod habetur in CIC.

Consultores non ita sentiunt.

Can. 304 (CIC 1087)

Invalidum est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste, etiam inconsulte incussum, a quo ut quis se libere, eligere cogatur matrimonium.

— Suggestum est a pluribus ut deleatur verbum « iniuste ». Propositio omnibus placet.

— Suggestum est etiam ut deleatur verbum « ab extrinseco ».

Duo Consultores idem sentiunt; sed alii Consultores sunt contrarii, quia secus plura motiva interna animi adduci possent tamquam speciem vis et metus habentia, quod viam aperiret pluribus abusibus.

Fit suffragatio an placeat supprimere verba « ab extrinseco »: placet 2, non placet 5, se abstinet 1.

— Nonnulli proposuerunt suppressionem verborum « etiam inconsulte incusso ».

Exitus suffragationis est paritas (placet 4, non placet 4), ideo praevalet textus prouti est.

* * *

Circa sequentes canones 305-308 suggestum fuit ab aliquibus organis consultationis ut transferantur ad caput « De forma canonica », quia modus manifestandi consensus magis pertinet ad formam canoniam.

Consultor quidam animadvertisit caput de forma canonica continere normas de modalitatibus extrinsecis ipsi consensui, dum canones 305-308 agere de modo manifestandi consensum et ideo melius est ut tales canones maneant sub rubrica de consensu.

Fit suffragatio an placeat transferre cann. 305-308: placet 3, non placet 4, se abstinet 1.

Can. 305 (CIC 1088)

§ 1. *Ad matrimonium valide contrahendum necesse est ut contrahentes sint praesentes una simul sive per se ipsi sive per procuratorem.*

§ 2. *Sponsi consensum matrimonialem verbis exprimant; si vero loqui non possint signis aequipollentibus.*

De hoc canone factae non sunt animadversiones.

Adunatio diei 21 maii 1977

Can. 306 (CIC 1089)

§ 1. *Ad matrimonium per procuratorem valide ineundum requiritur:*

1) *ut adsit mandatum speciale ad contrahendum cum certa persona;*

2) *ut procurator ab ipso mandante designetur et munere suo per se ipse fungatur.*

§ 2. *Ut mandatum valeat, illud subscribi debet a mandante et praeterea a parocho vel Ordinario loci in quo mandatum fit, aut a sacerdote ab alterutro delegato, aut a duobus saltem testibus.*

§ 3. *Si mandans scribere nesciat vel nequeat id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur qui scripturam ipse quoque subsignet; secus mandatum irritum est.*

§ 4. *Si, antequam procurator nomine mandantis contraxerit, hic mandatum revocaverit aut in amentiam inciderit, invalidum est matrimonium, licet sive procurator sive alia pars contrahens haec ignoraverit.*

— Nonnullis minus placuit ut matrimonium iniri possit per procuratorem, quia hoc modo obscuratur aspectus sacramentalis matrimonii.

Consultores autem in lucem ponunt valorem pastoralem huius instituti, attenta hodierna mobilitate populorum.

— Suggestum est ut consideretur validum in nostro iure etiam mandatum redactum secundum normas iuris civilis.

Cum suggestio aliquibus Consultoribus placeat, proponitur ut in fine § 2 haec addantur verba: « aut fiat per documentum ad normam iuris civilis authenticum » (placet 4, non placet 3, se abstinet 1).

Can. 307 (CIC 1090)

Matrimonio per procuratorem contrahendo parochus ne assistat nisi adsit iusta causa et de authenticitate mandati dubitari nullo modo liceat, habita, si tempus suppetat, Ordinarii licentia.

Hic canon translatus fuit ad cap. I « De cura pastorali et de iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent ».

Can. 308 (CIC 1091)

Matrimonium per interpretem contrahiri potest; cui parochus ne assistat niis de interpretis fide sibi constet.

Suggestum fuit ut dicatur « ... cui *tamen* parochus ne assistat, etc. ».

Propositio omnibus placet.

Can. 309 (CIC 1092)

§ 1. *Matrimonium sub conditione de futuro valide contrahiri nequit.*

§ 2. *Matrimonium sub conditione de praeterito vel de praesenti initum erit validum vel non, prout id quod conditioni subest, exsistit vel non.*

— Consultor quidam proponit ut aliquid dicatur de iure quod habent sponsi apponendi conditions de praeterito vel de praesenti.

Alter Consultor autem proponit ut ripristinetur norma, quae habebatur in primis schematibus, nempe de necessitate licentiae Ordinarii ut licite conditions de praeterito vel de praesenti apponi possint.

Fit suffragatio an placeat ripristinare illam normam: placet 4, non placet 3.

— Suggestum est ut hic canon ponatur post canonem 303.

Suggestio omnibus placet.

Can. 310 (CIC 1093)

Etsi matrimonium invalide ratione impedimenti vel defectus formae initum fuerit, consensus praestitus praesumitur perseverare, donec de eius revocatione constiterit.

— Est qui censeat canonem hunc pertinere ad ius processuale. Consultoribus autem placet ut canon hic maneat.

— Suggestum est ut in canone dicatur: « ... donec de eius revocatione *legitime* (vel: publice) constiterit ».

Propositio non placet. (F. VOTO, *Actuarius*)